



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXI. Alexandri Papae III. Ad VVilielmvm Et Oddonem Legatos. Vt pro bono ecclesiae reges Francorum & Angliae concordentur, & in Anglia de statu regni & ecclesiae sine scitu Thomae ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

rogando monemus, & exhortamur in Domino, quatenus pro ecclesiæ Dei reuerentia, & honore beati Petri, & nostro, apud iam dictum regem & archiepiscopum partes tuas efficaciter interponas, & studiosius labores, quod ad honorem Dei & ecclesiæ, & sui etiam commodum & augmentum, amicabilem inter se & pacifice conueniant: & ad hoc animos & voluntates suas, salua ipsius archiepiscopi & ecclesiæ honestate, omnimodis inclinent. Quod si per studium iam dictorum cardinalium & laborem & operam tuam pax inter eos & concordia poterit reformari, ecclesia, quæ tuo post Deum est specialiter adiutorio fulta, non modicum inde suscipiet incrementum; & tu ab omnipotente Deo in illa felici retributione iustorum speciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem (quod Deus auertat) conuenire non possint, dummodo regiæ voluntati sederet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valde existeret & acceptum: quod si absque graui scandalo personarum regni tui fieri posset, ut nos prænominatum archiepiscopum specialis honoris prærogatiua inter ceteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Vnde serenitatem tuam quanta possumus prece rogamus, ut si pacem, salua honestate sua, & ecclesiæ, quod omnimodis optarem, habere non possit, nobis super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeas intimare. Et hoc interim habeas omnino secretum.

## EPISTOLA XXI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ET ODDONEM LEGATOS.

Ut pro bono ecclesiæ reges Francorum & Angliæ concordentur, & in Anglia de statu regni & ecclesiæ sine scitu Thomæ Cantuariensis nihil agant.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**Q**VANTA vniuersæ Dei ecclesiæ, & præsertim Romanæ & orientali, detrimenta & incommoda ex discor-

*Concil. Tom. 27.*

L1



dia & diffensione, quæ inter carissimos in Christo filios nostros illustres Francorum & Anglorum reges per humani generis contigit inimicum, potuerint euenire, nostram decet discretionem aduertere, & tanto diligentius ad ea extinguenda intendere, quanto exinde maiora (quod Deus auertat) pericula formidamus. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus ad pacem inter eos & concordiam reformandam modis omnibus per vos & per alios religiosos & discretos viros vtriusque regni intendere studeatis, & ad hoc tota diligentia & totis viribus laboretis, vobis omnimodis præcauentes, ne ad petitionem vel fauorem vnus aliquid statuatis, vnde alter scandalizari debeat, aut quoquomodo turbari. Ad hæc vobis districtius prohibemus, ne vterque vestrum, vel alter, regnum Anglorum intrare, vel de negotiis eiusdem regni tractare, & præsertim de consecrationibus episcoporum aliquid vnquam efficere vel ordinare præsumat, nisi prius venerabilis frater noster Thomas Cantuariensis archiepiscopus iam dicto Anglorum regi ex integro reconcilietur. Quod per studium & operam vestram, operante Domino, ad effectum posse perducere confidimus, & omnino speramus: sicut enim ex literis multorum discretorum virorum accepimus, nihil est, vnde præfatus Francorum rex, & tota terra ipsius amplius commota fuerit vel turbata, quam ex iis quæ Ioannes Saresberiensis decanus a nobis rediens in partibus illis dicitur disseminasse. Datum Beneuenti vndecimo Kalendas Septembris.